



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Stephanus Gariuay n. 34

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

quando non sapiunt? quando non patiuntur? *Hæc ille, & quidem ad Societatis commendationem elegantissime.*

32. A LUDOV. MAIORANO GRAVINAS *Lib. 2. de vero Dei cultu cap. 17. Nobilissimum (inquit) Societatis IESV Institutum suppeditasse Ecclesiæ homines nihil non molientes in sanæ doctrinæ tuitionem, & profeminationem, eiusque Operarios optimis moribus, & scientia instructos per totum fere Orbem insigniter promouisse Dei gloriam; multaque sancte, & generosè molitos, ex quo cælitus ad instaurandam, & propugnandam labentem Ecclesiam aduenerunt. Ita apud P. Reynaud. in Trinit. Patriarchar. fol. 598.*

*Ij optimis moribus ac scientia instructi insigniter Dei gloriam promouent. Et ad propugnandam, propugnandamque labentem Ecclesiæ litus missi.*

33. ADVACENSI *Iuvene, qui cum Parentibus suis esset admirationi ob insolentiam vitæ pristinæ, sic iam pœnitens exclamavit. Quid admiramini? Dæmon ipse istorum Patrum manibus conuerteretur ad meliora. Tanta de Iesuitis opinio vel apud hominem perditissimum. Ita in Annal. Soc. anno 1609. fol. 239.*

*De illis celebre dictum.*

34. \* AB STEPHANO GARIVAY *Historiographo Peruanus in Compendio Histor. Reg. Hispan. lib. 30. cap. 75. Omitto (inquit) res æterna dignas memoria, quas toto Orbe præstitit Societas IESV ad fidei Catholicæ amplificationem, propagationemque, quibus exarandis, nec solertissimi scriptoris stilus quamuis exercitatissimus, par esse possit: prius enim egregia Societatis facinora scribentem, tempus & vita deficeret, quàm materia. Certe volentem me in lucem edere quam plurima ad præclaram illius Religionis commendationem prohibuit ex ipsa Societate non nemo, cuius desiderio, & modestiæ nunc faciendum satis existimaui. Aliàs ego opportuno loco & tempore propensæ meæ in Societatem voluntati faciam satis. Hæc ille.*

*Societas commendatur ex fidei amplificatione per totum orbem.*

35. A IOANNE SANCHEZ *Doctore Theologo, & Iuris vtriusque peritissimo in suis selectis disputationibus: Vbi postquam varijs in locis, Societatis Auctores miris extulisset encomijs, tandem disput. 43. num. 16. agens de P. Thoma Sanchio in rebus Moralibus vere*

*Et ex singulari filiorum sapientia.*